

I. N. S. S. T.

DISSERTATIO PHILOLOGICO-PHYSICA

De

A Q U I S  
S U P R A C O E L E S T I B U S,

Quam

*Consensu Ampliss. ad Auram Fac. Philos.*

S U B P RÆSIDI O

Viri Ampliss. & Præclarissimi

Dn. M. PETRI HAHN,


Scient. Nat. Prof. Regii & Ordinarii,

Pro usitato in Philosophia hono-  
ris titulo

*Bonorum censure modestè submittit*

MICHAEL SIM. POLVIANDER,

*Die volente Deo 19 Decembris Anno 1711.  
loco borius, consuetis.*



A B O A E,

*Excid. HENR. C. MERCKELL, Reg. Typogr.*

*L. Dr. J. L. L.*

ДИКАЯ РОЗА  
СИБИРСКОГО КРАЯ

25

# ДИКАЯ РОЗА

СИБИРСКОГО КРАЯ

Одна

Люблю я сибирь, как на Родине родную  
Сибирь люблю.

Излишне говорить, что Красивейшая

Сибирь в мире не имеет равных.


Сколько же чудес в ней скрыто!

Сколько же чудес в ней скрыто!  
Одна из них — это Дикая Роза.

Сколько же чудес в ней скрыто!

Дикая Роза

Сколько же чудес в ней скрыто!



# Momentum Prius.

## §. I.



Irabilis est stru-  
ctura totius opificii  
mundi hujus, tam-  
que remota à sen-  
su & ratione sunt  
pleraque naturæ  
opera, ut nec à sa-  
gacioribus reperiri,  
neque perspici à peritioribus possint.  
Quantocunque tandem homo incumbe-  
ret studio, quantam etiam impenderet  
curam, diligentiamque adhiberet, pluri-  
ma tamen remanent quæ ejus fugiunt ca-  
ptum, ut assequi nequeat quod scire &  
indagare contendit. In multis tam cæca  
est ratio humana, ut totam rem, quæ in

rerum natura certò invenitur, penitus  
 ignoret, cum enim potentia divina su-  
 mit incrementum sapientia humana de-  
 crementum seneat. Hoc liquido compe-  
 riet qui aquas super firmamentum cœli  
**constitutas considerare cupiat:** qua in re  
 enim magis cœca sit ratio humana? ma-  
 gis inscia nostra sapientia? magisque muta  
 Philosophorum gentilium vox & discepta-  
 tio? Nil rationi magis absconditum quam  
 harum cum existentia, tum situs & ordi-  
 natio in istum suum locum in primordio  
 creationis facta. Nec mirum, cum in oc-  
 culto nobis remotissimoque lateant loco,  
 quo nec oculorum nostrorum acies pene-  
 trare, neque ullius sensus operatio perve-  
 nire potest. nostros istæ ludant & sensus  
 & mentem, sola sacra scriptura est, quæ de-  
 hoc operis divini mirabili nos informat  
 opificio, quæ si tacuisset nullo sagacitatis  
 humanae acumine rationisque indagine  
 cognosci ac investigari potuisset: sed per-  
 petuis ignorantiae tenebris involutum la-  
 tuisset. Ut etiam plurima horum in ter-  
 ra, quæ oculis obversantur nostris noti-  
 tiam

tiam nostram fugiunt, ita non mirum  
videbitur, si aquæ hæc, supra ipsum cœ-  
lum sidereum in laudem potentiae divi-  
næ constitutæ, nos in æternum latuissent.

## §. II.

Quanquam verò in his tota cæxuti-  
at ratio humana & sola scriptura lacra  
hoc nobis manifestet operis altissimi  
Θεοπατέρεγγημα, minime tamen Physico  
hujus tractandi deneganda est facultas,  
quare physicæ considerationis aquas istas  
supracœlestes esse existimamus: ad classem  
enim corporum naturalium pertinent, ut  
infra ostendemus, at Physici est totum ex-  
haurire naturæ latifundium, quomodo igitur  
hanc omittere considerationem fas sit?  
& licet norma controversiarum Physica-  
rum sit natura, non tamen μετάβασιν εἰς  
τὰς ἀλλογένες faciunt qui in talibus S. Scri-  
pturam allegant, nec hoc physico alie-  
num est principium si inde pro stabilién-  
dā veritate promat argumenta.

## §. III.

Tria sunt media quibus veritatem

assequi laboramus : sensus, ratio & scriptura, unumquodque horum suo modo veritatem sicut nobis. Sensus si justa sit distantia, medium legitimum & organum recte dispositum circa proprium suum objectum nunquam errat. Qui ubi deficit succurrit ratio, quæ à notioribus principiis deducit ea quæ consequuntur, quæ sensuum vices sanâ ratiocinatione ex causarum, effectuum &c. consideratione, jam apodicticè jam probabiliter tantum, pro ratione argumentorum supplet. Succubentem rationem sâpe erigit S. Sacra, librumque naturæ explicat, quis vero divinum rejiciat testimonium? quis creatoris testimonio quod de suis dicit creaturis, non addat calculum? cuique de suo dat scriptura, sive sacra sint sive non. Et sicut non statim Ethnicus est, qui aliquid ex Ethnicorum didicit scriptis, ita nec modo Theologus est, qui ex scriptura sacra, in quacunque tandem philosophie parte, pro veritate sumit arguenda & probationes. De aquis supra firmamentum silent lenses, nil ratio novit, sed

sed tacita suspendere judicium suum cogitur, hic ambo caligant, sola vero sacra scriptura quod & quid sint manifestat, cuius testimonium tanti à nobis aestimabitur, quod ei assentiamus licet nullum nobis sensus vel ratio suppeditent argumentum, quo vel minimum nobis svadant obscuræ rei hujus indicium. At tunc minimè obscura cum in tanta & sensus & rationis caligine succurrat ipse naturæ auctor, hujus sui operis per scripturam interpres optimus. hic affirmat, hic describit operum suorum structuram, quæ alias alto inscitiae malo sepulta delituisse. Injurii igitur in DEum sanctissimum esse videntur, quibus lux hæc adparuit, qui sacram scripturam in talibus allegandam & applicandam non autumant, sed dum etum cæcæ rationis sequentes sibi ipsis multum tribuunt.

#### §. IV.

Multum sudant Docti, cum ex Sacra Scriptura iis se offerant versiculi 6. & 7. Capitis I. Genesios, quid hic in tanto sen-

sententiarum discrimine concludantur.  
 Verba ex ipso fonte allata sic audiuntur;  
 וַיֹּאמֶר אֱלֹהִים וְחִזֵּק רָקִיעַ בַּתּוֹךְ הַמִּזְבֵּחַ וְהַ  
 מִבְרִיל בֵּין מוֹסֵךְ לְמִזְבֵּחַ: וַיַּעֲשֶׂת אֱלֹהִים  
 אֵת - רָקִיעַ וּבוּדָל בֵּין הַמִּזְבֵּחַ אֲשֶׁר מִתְחַרְתָּ  
 לְרָקִיעַ וּבֵין הַמִּזְבֵּחַ אֲשֶׁר מִלְּלָאָרָם לְרָקִיעַ וְהַזָּהָר - כֹּן:  
*Quæ sic vertit B. Sebalt. Schmidt: Postea dixit Deus, fiat expansum in medio aquarum: Et fit dividens inter aquas et aquas.*  
 Et fecit Deus expansum, et distinxit inter aquas, que essent sub expanso, et inter aquas que essent supra expansum: factumque est ita. Hic in duas abeunt præcipue opiniones, suam ab utraque parte ex hoc testimonio divino allato conantibus probare ac evincere. Alii per aquas **על רקייע** quæ sunt *supra expansum* vel aliud intelligi volunt nisi aquas illas quæ in **nubibus** sunt; Alii contra dicunt esse aquas *supra cœlum ultimum*, quæ illud undique ambiantur. Pro utraque sententiâ stant benè multi Excelleutissimi cum Theologi, cum Philologi ac Philosophi, ad Scripturarum auctoritatem unice, cum sensu vel ratione percipi nequeant, provocantes,

cantes, quam pro se stare utrinque alacriter clamitant. Hic in tanta magnorum virorum dissensione in bivio stantes ancipites hæremus, utra incedamus viâ, cum dubium moveat tum tantorum, ut diximus, virorum ab utraque parte frequentiâ, quorum plerique studiose veritati investigandæ etiam hic invigilavere, tum scripturæ autoritas, quam utrinque sollicite commendant. Cum verò pro hac magis quam illâ clarior, ut opinamur, extet scripturæ litera, ideo lubentius hoc deflectimus ac cum illis facimus, qui afferunt *dari aquas supræcœlestes*, quæ cœlum undique ambiant, quas Deus in primæva creatione supra cœlum ultimum, collocavit ac reposuit.

### §. V.

In robur sententiæ, quam tanquam probabiliorem sumsimus proferendam, adducemus, quos citavimus adjunximusque superius versiculos, quorum *¶ pñsor*, nullos ibi impropriæ locutionis, ut antiquorum nonnulli, quærentes colores,

servabimus; nec coacte explicacionis nos implicabimus nodis, sed simplici ratione propositum in medium sistemus, dabis musque explicatum. Vocab si nobis hoc loco genuina & ad ipsam rem verè competens constaret acceptio, nulla omnino lis exorta fuisset. Quoniam vero de hac hic maxima sit contentio, ergo ad ejus considerationem nos accingemus, quam si erimus adepti, facili negotio ceteris nos expediemus.

### §. VI.

Primum occurrit vox עַקְרָב examini subjicienda, quæ multum sollicitat doctos, rotiusque litigii quasi nodus existit. Certum est per עַקְרָב intelligi expansionem, descendit enim à rad. עַקְרָב quæ expandit, explicavit, diduxit, & extendit significat: Expansum enim nil aliud est, quam id quod ab infima terra ad summum usque mundi se extendit, in cuius parte inferiori nubes volitant, in superiori vero planetæ & stellæ collocatae sunt. hoc enim per spatium maximum

exten-

extensum & expansum est. Sed hæc lis  
est, cum per רקיּוּ forte etiam aëreum  
cœlum Indigitetur Gen. i: 20. וְעַזְבָּלֶת super Terram, עַל  
super faciebus expansi cœlorum, an etiam  
h. l. v. 6. & 7. itidem pro hoc cœlo aereo  
sit accipiendum? ad quod negative re-  
spondemus: in eodem ipso enim expan-  
so, supra quod aquæ positæ fuere, lumi-  
naria die quarto posita erant v. 14. quæ  
certè non in aere vel cœlo aereo sed in  
cœlo superiori, quod sidereum vocant  
collocata sunt. Neque dubio adhuc ca-  
ret, per רקיּוּ in scriptura intelligi  
aerem. De voce מִשְׁמָר quidem certum  
est, qua significatione pessim occurrit,  
ut Psal. VIII. 9. צָפֹר שְׁמָמָם Deut. IV:  
17, 36. & alibi. Nec v. 20. Genes. I. quem  
superius in probationem ejus significatio-  
nis adduximus id omnino probare vide-  
tur, cum phrasis עַל פָנֵי רְקִיעַ non moriet  
in expans/o, sed ex adverso, seu coram ex-  
pans/o n/im particula עַל non raro etiam  
pro contra, adversus & coram accipitur.  
vid. Genes XI: 28 XXV: 9. & sic aer non

potest intelligi, sed æther: non enim  
 coram aere sed in aere volitant aves,  
 licet neque diffiteri quis audeat, etiam  
 pro *in* phrasin hanc exponi, ut Gen. I. 2.  
 פְנֵי תְהוֹם עַל super facie abyssi h. e. in  
 abysslo, exponente B. D. Glassio Philog.  
 sacræ lib. III. pag. 145. Novum planè hic  
 excogitavit Pererius, cum per רקי' nec  
 cœlum quidem sidereum intelligi vult,  
 sed nescio quid aliud ab eo distinctum.  
 firmamentum vero per hoc expansum  
 indigitari certum est, quare LXX. יְהוָה  
 per *sejewmā* commodissime verrebant,  
 quod *firmitatem* notat, est enim *sejewmā*  
 solidus, firmus, integer, firmiter stans,  
 quod forte sic idè vocatur, quod sit fir-  
 missimum & stabilissimum, ut & quod  
 sit fundamentum quasi totius ædificij ac  
 opificii mundi: hoc enim aptissimum  
 medium est ad dividendum aquas superi-  
 ores ab inferioribus, quare etiam ali-  
 quando מִבְרִיל differentia, divisorum ap-  
 pellatur; hoc naturalem locum etiam  
 superioribus constituit, ne licet gravitate  
 suâ puto i adhuc gaudet deorum ta-  
 men

men ad centrum tendant & redeant: Sic per γό ύκιν commode hic intelligitur & aereum & sidereum cœlum, quia unum idemque expansum est aer & cœlum sidereum, tantum enim unius mentionem hic facit oraculum divinum. Jam igitur sive supra aerem sive supra cœlum sidereum collocatas aquas hasce dixeris perinde fueris: si enim probaverimus aquas divisas repositas esse supra aerem, jam tum aquas haud esse nubes obtinebimus, nubes quippe nunquam supra aerem sed in aere sunt & volitant, & quidem fœcondiores istæ, quæ tantum in pluvias resolvi possunt & aquas, haud longe è facie ipsius terræ distant.

### §. 7.

Excipit deinde in allatis versiculis vox altera γύν quæ litem etiam h. l. movet, nec itidem in hujus vocis convenienter expositione. Probabilis sententia videtur, si statuatur nullam aliam vocis γύν hic locum habere posse significacionem, quam *supra*, *superne*, *sursum*, & ean-

candem plane quam obtinet vox עַל, cum scil. aliquid *superius* notat. Omnino neque diffitemur γένετο עַל latius significatio-  
ne esse quam γένετο מֵעַל, quia id multis in locis adhibetur, in quibus hoc vel non usurpatur vel non usurpari potest. Præ-  
cipue urgenda veniunt ea loca ubi מֵעַל  
& מִתְחַת conjunguntur, sibique invicem directe opponuntur. Quid igitur vetat talibus in locis dicere, ut מִתְחַת notat,  
*jub*, *infra* & *inferne*, sic & מֵעַל vi oppositionis *super*, *supra* ac *superne* designat.  
vid. Jos 11:11. Nec urgeant, cum מֵעַל  
dicimus notare *superne*, quod etiam nubes superne sint. concedimus quidem &  
nos nubes superne esse, scil. respectu nostri, non vero respectu expansi quod hic dicitur, alias essent in & quidem *in inferiori parte expansi*, quod voci מֵעַל  
convenire non videtur. ideoque *superne expansum* idem hic est ac *supra expansum*.

## §. VIII.

Q[uod] secundo die productum erat  
expansum **con**tum dictum: בָּהָרֶךְ הַמִּים

*in medio aquarum, superiorum scil. & inferiorum.* Quā descriptione clare nobis proponitur expansum illud & supra & infra, non vero intra se habere aquas h.s., quarum hic mentio sit. Infra sunt quas nos hic adipicimus usuique inserviunt nostro; supra vero, quas supra firmamentum collocatas diximus, cœlum unumque ambientes, quas peculiaris sapientia Divina ab omni & sensus & rationis nostræ acie exclusas in locum ultimum reponuit. Intra expansum sunt nubes de quibus, tunc post expansi productionem ne quidem existentibus, hic sermo nec esse, neque esse potuisse videtur. Et sane hos rem incredibilem nobis obtrudere velle appetet, qui etiam respectu nubium aerem medium esse dicunt inter eas & has aquas inferiores. In aere sunt nubes non supra eundem, & qualis esset hæc divisio aquarum quæ ruisum frangatur, dum aqua sursum elata iterum cum ins, à quibus segregata erat, redundatur. nec magis tum aquarum divisio facta fuisset quam hodie, cum eo modo beneficio

ficio siderum semper aquæ sursum trahantur & in nubes condensentur.

### §. IX.

Sic breviter vocum genuina significacione inquisita, paucis rationes & argumenta quædam adducemus, pro stabenda sententia quam probabiliorem putavimus. Et ita l. argumentamur: *Q. in prima creatione aquam fuisse divisam, partem illius unam super cœlum, alteram sub cœlo locatam afferit, is aquas supra-œlestes differte adstruit. at Sp. S. hoc per Scripturam facit.* E Minorē monstravimus modò, dum per יְהוָה כœlum quoque sidereum h. l. intelligi probavimus, finemque ejus ab ipso Deo assignari audivimus, qui est distinctio aquarum superiorum, scilicet supra firmamentum ab inferioribus. Urgemus clarissima verba Sp. Sancti, in quibus sermo est de illo firmamento & expanso, quod Deus differte vacavit cœlum, in quo postea poluit lumen maria ista magna. II. Quas expansum distinxit aquas, jam actu die secundo existere,

stitere, nubes vero quas pro his substi-  
tuunt, nondum erant, meteora quippe  
sunt, beneficio siderum sursum attracta,  
qua tunc creata non erant. Nec nubes  
proprie aquæ sunt & forte nusquam in  
scriptura aquæ nomine veniunt. Neque  
perpetuæ sunt nubes, cœlo namque se-  
reno fere nullæ apparent. III. Sequitur  
quod etiam expansum superiores aquas ab  
inferioribus non separat, sed potius aquæ  
sejungerent superiores expansi partem ab  
inferiori. Et sane dubitandum non exi-  
stimamus Mosen perpetuum & longe  
majus inter aquas illas innuere voluisse  
discrimen, quam quod est inter nubes &  
aquas hasce terrenas. IV. Nec veritate  
aberrare videntur illi, qui afferunt, im-  
mensam illam aquarum molem, qua  
ante divisionem terram operuerat, non  
potuisse elevatione nubium & congrega-  
tione aquarum in unum locum in terra,  
sic minui, ut tantum corpus ac terra est  
tot & tantis spatiis relinqueretur aridum.  
Ergo Deus Maximus potentia eadem, qua  
altissimos creavit cœlos, maximam ejus

partem in sua supra cœlum ultimum collocavit loca. Nec tamen inficiemur hoc nū solidi posse probari. V. Si loca parallela hujus oraculi adspiciemus, omnino dam eorum consonantiam deprehendemus. Psal. CIV:3. **הַמִּקְרָה בְּמֹם עֲלֵיוֹתָו** *contignans in aquis cœnacula sua.* h. l. per aquas nubes intelligi non putamus, nec per **עֲלֵוֹת** aerem, sed ipsum cœlum extimum, ut etiam Psal. CXLVIII: 4. *laudate eum cœli cœlorum; Et aquæ, quæ su. pra cœlos.* Versus enim 8. illustrat, per aquas istas, quarum versus 4 meminit, non intelligi nubes, ibi namque meteora aquæ, quæ partim ex nubibus sunt, partim vero ipsæ nubes, ad Dei laudes prædicandas excitantur. *ignis Et grando; nix Et vapor; spiritus procelæ, faciens verbum ipsius scil. laudate Jehovah.* Hisce oraculis adjungendus hymnus trium puerorum qui ad laudes Dei pronunciandas omnia Dei opera, & quidem ordine à summis ad infima progrediendo; adhortatur. sic enim v. 38. *benedicite domino id est nunc laus in regno regnum,* ubi iterum

rum in serie creaturarum aquæ illæ angelis subjiciuntur, cœlisque iis qui beatorum habitacula sunt. Sed soli, lunæ, stellis ac sublunaribus omnibus præmituntur. De nullis igitur aquis aliis quam supracœlestibus intelligenda veniunt. Obstant etiam v. 42, 48, & 49. quin nubes hic per aquas notentur, ubi expressa nubium, imbrium & nivium fit mentio, Ergo distinctas ab iis aquis, quas v. 48. commemoravit, esse ostendit. Nec moveat nos occulta libri hujus auctoritas, & quanquam inter Apoctyphos recenseatur tamen haud exiguum nobis suppeditat lucem de opinione Ecclesiarum Judaicarum, quid illa hac de re senserit ac crediderit, adeoque nobiscum hic consentit, quod scilicet aquas supracœlestes dari, testante libri hujus auctore, sibi persuasum habuerit.

### §. X.

Nec novum est inter nos quod affirmamus, sed dudum ab antiquioribus cum Patribus tum Rabbiniis, Theologis quoque & Philos. Excell. approbata sententia.

Quos allegemus ut liqueat nos ut adversus multos sic cum pluribus hoc in negotio factoros. Consentivit Basilius, Chrysost. Ambrosius &c. nota sunt Augustini verba de hac re: *Major est scripturae auctoritas, quam ingenii nostri capacitas.* B. Luth. noster sic in Com. in Cap. I. Gen. *Ego quidem libenter imaginarer firmamentum esse supremum corpus omnium, & aquas non supra sed sub cœlis pendentes & volantes esse nubes, quas cernimus, ut sic aquæ ab aquis distinctæ inteligerentur nubes à nostris aquis divisæ in terrâ.* Sed Moses manifestus verbis aquas supra & infra firmamentum esse dicit: *quare captivo hic sensum meum, & assentior verbo, etiam si non assequor.*

## Momentum Posterius.

### §. I.

**Q**uæ adduximus ad sententiam nostram stabilendam facere putamus, jam quid contrarium sentientes ad versus hanc nostram proferant breviter intueamur,

mur, sicco pede transituri illorum opiniones, qui in varias improprias labuntur acceptiones, tropicasque hic querunt locutiones, quorum numero Origenes, qui per superiores aquas Angelos bonos in eligi vult, per inferiores autem malos, propter peccatum a cœlo dejectos. Gregorio Nysseno intelligibiles virtutes hæ superiores aquæ videntur, licet non inferiores pariter pro Diabolis habeat. Cui proximus accedit Scaliger, qui supra cœlestes Hierarchias his aquis superioribus intelligi contendit. Neque alienus ab allegoriis & tropis in explicando hoc loco initio erat Augustinus, postea vero assensit oraculo huic etiam secundum literam explicato, cujus auctoritatem majorem ingenii sui capacitate agnovit.

### §. II.

In eorum argumenta magis sollicitè inspiciamus, qui quidem aquas S. C. dari concedunt, sed non supra cœlum sidereum evectas, sed in nubibus pendulas, nubesque pro his aquis habent, & hoc qui-

quidem tali contentione, ut hominum commenta dicere audeant plurimi. Hæc sententia ex omni genere hominum sibi conciliavit patronos, hic multi Pontificii & plerique Calvinianorum consentiunt, quidam etiam Nostratium pro ea stant, ubi argumenta neutra in parte defunt, quos inter Dn. Georgius Calixtus, Musæus, Scherzerus, Bechmannus &c. D. Jac. Martini nil omnino definit, sed rem ut non satis claram & perspectam, relinquit in medio. Rationes eorum hæ sunt præcipue: Pro virili urgent vocem יְהִי, quâ aërem h. l. designari putant, sed contrarium super ostendimus. Probare hoc volunt ex eo quod nullò aliò locò creationis aëris mentio fiat, creationem ejusdem h. l. describi, contenduntque credibile non esse, Mosen tam nobile corpus ac aér est, ejusque creationem prætermissee, adeoque concludunt, probabilem omnino sententiam esse, per יְהִי *Expansum secundi diei intelligi expansum aëris*, per aquas superiores verò eas, quæ in superiori parte aeris,

in nubes condensatae sunt. At dicunt quidam secundo die nondum extitisse aerem, sed demum tertio die emersisse, cum ab arida separarentur aquæ. Posito vero fuisse, hoc tamen nil evincunt; nobile corpus est aer, sed nonne Angeli nobiliores aere, neque tamen creationis eorum facit mentionem, vel nonne creatus sint Hexaemeri istus spacio? nonne stellæ creatæ sint, præter eas quæ dividunt diem & noctem, ac quæ dant lucem super terram, solem scil. & lunem? sed dicat quis? scopum Mosis fuisse describere res visibiles tantum. Sed quid tum? sunt hæ aquæ visibiles in se & intra numerum creatorum visibilium continentur, licet ob summam distantiam, mediumque interpositum ipso actu non videantur. creatus omnino tunc fuit aer, licet creatio ejus explicite disertis non indigetur verbis. Nec errare opinamur dicentem, aerem hoc ipso fuisse producsum, ac etiam exponsum hoc, supra quod sunt hæ quæ, si alias, concedatur per expansum etiam aliquando aerem de-

denotari. Non aer est expansum illud, sed  
expansum hoc continet, tum sidereum.  
tum aereum cœlum; quæ sunt unius con-  
tinui expansi diversæ partes qualitatibus  
& usibus differentes,

## §. III.

Concedimus nubes dici *aquas in cœlo*,  
Jer. X. 13. Ll. 16. & alibi. Sed quid hoc ad  
*aquas supra cœlum*? In cœlo sunt nubes  
& quidem in inferiori ejus parte non  
supra cœlum. Aperiri dicitur cœlum,  
cum pluvia in terram dimittitur, & claudi-  
cum inhibetur, neque negamus cœlum  
sæpius pro aere sumi & multa prædica-  
ta aeri cum cœlo esse communia. Inter  
particulas *in de* & *ex cœlo*, & *supra cœlum*  
differentiam quis ignorat? In cœlo volis-  
tant aves, in cœlo moventur stellæ & me-  
teora, de cœlo descendunt pluviaz, at  
supra cœlum collocatae sunt hæ aquæ.  
Neque hinc triples aquæ sequuntur,  
contra Mosen duplices tantum describen-  
tem, cum nubes proprie dictæ aquæ non  
sint, sed quæ tandem in aquas resolvuntur.

## §. IV.

## §. IV.

Gratis quoque objiciunt, Mosen inconvenienter commemorasse has aquas, quarum nullus prouersus esset usus, omissis iis quarum quotidie fruimur utilitate. Nubium haud potuit mentionem facere diuinus scriptor, cum nondum exstiterint, neque enim adhuc sidera creata erant, quorum beneficio atomi aqueæ a mari aliisque aquis sursum elevatae in congeriem s. cumulum excrecebant, quæ nubes salutatur. num igitur effectus sua causa prior? & Cap. II: 5. dicitur, Deum non dimisisse pluviam super terram, sed quod vapor ascenderit à terra irrigans omnem faciem terræ. v. 6. specialem earundem usum licet ignoremus inde tamen nullum eundem esse haud concludamus, cum plurium etiam aliarum nobis propiorum rerum nos lateant usus. Nihil in natura otiosum, nihil Deus frustra condidit, nihil est quod non usus aliquius gratia creatum sit, quocunque vertamus nos, oculosque figamus nostros, cum plena admirationis sunt ac utilitatis, num  
D solas

solas h̄as aquas sine fructu quodam otio-  
 sas putemus? facilius nos ignorare fate-  
 bimur, quam incerta & iniqua commi-  
 nisceremur, iisque ludamus, magis quam  
 verum contingamus. Talibus insanire  
 turpius est, quam nescire. *Earum usus*  
*novit is qui eas condidit* ait B. Gerh. in  
*Comment. super Gen. Generalem* earum  
 usum indicat scriptura, ut scil. laudent  
 Dei bonitatem & majestatem. Commen-  
 ta Judæorum censemus, quos usus Da-  
 masenus, Josephus & Philo adducunt,  
 ut scil. sint in refrigerationem & con-  
 temperationem caloris ex motu firma-  
 menti & siderum exorti, nec non in mu-  
 nimentum ne cœli ventorum & procel-  
 larum impetu & violentia agitati concu-  
 tiantur ac vacillent. Hæc gratis dicuntur,  
 nec ullo sensus, rationis aut scripturæ  
 vel minimo indicio nobis innotescunt.  
 Optime igitur B. noster Lutherus ad talia  
 respondit: *ego potius me fatebor Mosen*  
*in hoc loco non intelligere, quam ut ista*  
*inerudita probem.* Caulino querendo illu-  
 denti: *aut hic positæ sunt ut astrorum*

temperent flamas? an ex istis irrigantur terra? an ut exhibarent cœlestium ci-vium oculos? Respondet B Achrelius Contempl. M. Lib. i. C. XI. Ea que de usu aquarum istarum afferunt, tantum abest ut veritatem valeant frangere, ut potius suam prodant penuriam in enumeranda partium harmonia. Non enim saltem hoc requiritur, ut fervorem siderum mitigent, vel detrudantur in solamen terrarum, cum noster oceanus totque per tellurem distincta maria & flumina eum temperare valeant; Vel oblectant beatas animas, cum nemo sanus dixerit, eas collocatas intra supra cœlestes undas; sed in complexu pacis, in sinu Abrahæ, in custodia manus Dei, quam urnat sanctitas, replet eternitas, circumlucet beatitudinis divinitas.

## §. V.

Ipsam definitionem jam ut subjiciamus, necesse est. Est itaque aqua supra cœlestis corpus naturale simplex, cœlum un-dique ambiens, ex prima aquarum divisi-one pronatum. Est corpus naturale quia

species mundi est, naturamque habet, omnis autem species mundi corpus naturale est, & quicquid inter species mundi est, hoc pro genere suo agnoscit: est namque latius & suo complexu omnem speciem mundi exhaurit, ita ut de omni & singula specie vere prædicetur. Corpus naturale est adhuc, quia ei Corporis nat. affectiones competit, ita ut cum ea tam unitæ in sensu unito, quam disjunctæ in sensu disjuncto reciprocentur: communem enim cum corporibus Nat. reliquis habet quantitatem, qualitatem & locum, quæ ei negare plane ablonum est. Motumne vel quietem his aquis tribuamus dubio res non caret, quoniam tacente scriptura hic caligamus. Alterum vero horum necessario iis compete re, ex affectionis disjunctæ natura, alterum necessario ponente vel excludente, liquido constat. Falsum est corpus naturale, non prædicari univoce de omnibus mundi speciebus, sed analogicè, primo de corruptilibus, secundario vero de incorruptilibus. Nec ferit nos hoc

argu-

argumentum: si substantiae corruptibiles sunt corpora naturalia, utique incorruptibles non erunt corpora nat. quasi unius positio modo esset alterius exclusio. Connexi rationem afferunt: quia corruptibilia & incorruptibilia differunt genere, sunt enim contraria, non vero contraria sub eodem continentur genere. Verum quidem est, corruptibilia & incorruptibilia differre genere, at non logico, sub quo tanquam species continentur, sed Physico quia diversae rationis materia constant. Illa composita, haec simplici, quae sola simplicitatis & compositionis, corruptibilitatis & incorruptibilitatis mater est. Nil autem obstat, quoniam minus quae materia differunt, genere logico convenient, adeoque pariter corpora naturalia sunt quae simplici ac quae composita constare materia.

### §. VI.

Est corpus naturale *simplex*, quicquid natura continet aut simplex vel Compositum est. Simplex est quod ma-

teri-

teriam habet simplicem. seu, quod materia & forma constat ex diversis corporum complexorum speciebus non compositis, adeoque corruptibile & in alia resolubile non est, Compositum contra quod compositam materiam habet, seu, quod materia constat & forma ex diversis corporum complexorum speciebus compositis, adeoque corruptibile est, & in ea ex quibus constat tandem resolvitur. Simplicem materiam habet aqua supracœlestis, ergo corpus simplex est. Nec sequitur, Constat materia & forma Ergo ex iisdem composita est, Ergo corpus compositum est: nam ex eo quod aliquid ex materia & forma constat, non licet modo concludere, ut compositum sit eo modo quid nos? compositum definimus. Simpliciter loquendo nullum corpus simplex est: habent enim corpora compositionem, non logicam tantum et Metaphysicam sed etiam Physicam, scil. ex materia & forma. Secundum quid vero ea dicuntur simplicia, quæ missionis sunt expertia. Ex summa ita simplicitate sequi-

sequitur, quod à Corruptione ex naturæ suæ munere tutæ quoque sint, usque dum totius hujus systematis mundani πανολεθεία accedat. Passive corruptibiles non sunt, hoc est, subjective omnis inclinationis ad interitum immunes sunt, durationis quippe sempiternæ potentia concessa, illis non accidentaliter sed essentialiter ex conditione materiæ corruptionem respuentis, inest. Sunt tamen corruptibiles active, cum creatori eas destruere placet.

### §. VII.

Ex prima aquarum divisione pronastræ sunt hæ aquæ, quarum moles procul dubio maxima est, quæ cœlum siderum omnium receptaculum, undique ambit, non eo loco ubi jam existunt creatæ sunt, sed simul cum hisce inferioribus. Unam saltem aquarum productionem in sacris legimus literis, alteram divisionem, qua hæ simul et in uno loco creatæ aquæ ab inferioribus separabantur & super supremū cœlum collocabantur. Locus quem occupant

occupant iis? naturalis est, quem nullus mortalium vidit, verè tamen in loco esse ratio metitur, quæ omne corpus naturale in loco esse statuit, locus igitur cum in naturalem & violentum dividatur, alterum horum tribuere his necesse est. violentus adsignari nequit, quem scil. vis externa infert, Ergo naturalis erit ad quem locatum natura fertur, hunc eis optimus naturæ auctor initio destinavit, hoc eas reposuit, ubi tempus suum integræ serventur. illud naturale est quod in prima creatione cuique adsignavit Deus. Miranda hic creatoris institutio & omnipotens ordinatio, quod non descendant licet graves sint, non centrum petant ut inferiores hæ, licet ejusdem naturæ & essentiæ sint cum illis. Notanda sunt verba B. Lntheri: *Quare ista communia non negamus quod dicunt, omne grave deorum tendit & omne leve sursum, hoc tantum dicimus, ista sic creata esse & confirmari verbo, verbo tamen etiam adhuc bodie mutari posse sicut tota natura tandem mutabitur, sicut etiam*

contra citatam regulam est quod sint adhuc supra cœlos s. firmamentum aquæ, & tam  
en textus id adfirmat. Est igitur, ut di-  
ximus, situs earum naturalis ex volunta-  
te & potentia creatoris unice dependens.

### §. VIII.

Ultimo hoc loco in ipsam harum a-  
quarum pausis inquiramus naturam, num  
ejusdem cum inferioribus hisce naturæ  
ac qualitatis sint? quod adfirmamus. B.  
Meissnerus ait Phil. Sobr. parte I. lect. 3.  
Cap. 4. q. 3. *Melior pars Theologorum sem-  
per intellexit aquas proprie dictas, quas  
Deum mirabili & singulari ratione supra  
firmamentum vel cœlum stellatum verè &  
realiter reposuisse defendunt.* Fit mentio  
aquarum quæ vocantur מים aquæ ac  
hæ inferiores, tantum igitur abeat ut di-  
versæ essentiaz ac naturæ eas ab hisce esse  
censeamus, nilque aliud quicquam inter-  
cedit discriminis, quam ut maximo lo-  
corum intervallo ab invicem separataz,  
inferiores hæ usibus destinatae sint viven-  
tium in terrâ, dum usum superiorum ad

nos ignoramus. quæ vero causa, cur hæ aquæ quæ ante unam eandemque habuisse creduntur naturam, aliam, diversamque sibi acceperint? num ex uno loco in aliam transferre Essentiæ mutationem inferat? haud putamus, qualitatibus differre has nonnulli contendunt, sed quidam nec hoc concedere volunt, nam qualitatem ut affectionem corporis nat. intrinsecam mutari non posse dicunt. non videtur periisse vel mutantam fuisse ejus gravitatem, non crassitatem, quam respectivam ad aerem & ignem habet, neque humiditatem, quæ ut aquæ propria ejus perpetuo manent, nec separari ab eâ possunt. Manet aqua jam ut aqua erat, eas quoque jam retinet proprietas in alto quas habuit in fundo terræ, habetque adhuc in gremio abyssi, discrimen licet puritatis nemo ausit negatum ire.

## §. IX.

Quæ vero sit causa, cur aquæ hæ tam à Theologis & Philologis quam physiciis

sicis, quotquot fuere qui harum inquisitionem & descriptionem sibi suscepserint, non describantur per elementum ut genus, & tamen non dicantur ab elementaribus hisce Essentia & natura differre, multis non eget demonstrari, cum res adeo clara sit, ut dubitatione hac in parte opus esse non videatur. Elementum quippe est quod ad mistorum constitutionem ordinatum est, at hoc aquis supercoelestibus non convenit. Differunt hæ aquæ loco & officio, non ipsa natura & essentia. Elementaris aquæ officium est integrare mundum hunc sub lunarem, missumque intrare ac constituere. Aqua vero sup. systematis mundani pars integrans non est, neque mistorum essentiam ingreditur ut eam constituant. Continentur ambæ hæ aquæ sub uno genere latiori, corpus simplex enim recte de utraque prædicatur, materia quippe simplici ambæ constant; non vero sunt sub uno genere strictiori, ut scil. ambæ dicantur Elementa, quod ex diverso utriusque officio, à creatoris omnipotentia, cuique

cuique adsignato provenit, sic aquas  
 sup. ingredi mistorum constitutionem,  
 eo quod supra supremum cœlum positæ  
 sint, inconveniens habetur, ideoque  
 Elementi nomine non veniunt, quod  
 tamen specificæ identitati earum cum  
 hisce inferioribus non  
 repugnat.

LAUDATE NOMEN JEHOVÆ:  
 quia ipse præcepit, & creata sunt.

